

41) **LOTUS WRANGELIANUS.** L. annuus, diffusus, pilosus subglaber; foliis quadrifoliolatis; foliolis oblongis subglaucis; pedunculis axillaribus brevissimis unifloris ebracteatis; leguminibus pubescentibus.—*L. subpinnato* proximus, at pube rariore incumbente adpersus et legumina pubescentia; a *L. (Hosackia) parvifloro* dignoscitur pedunculis ebracteatis aliisque notis.—Herba annua, tenuissima, habitu *L. subpinnati*; flores parvi flavi; legumina semipollicaria teretiuscula, seminibus 5—7 subtetragonis laevibus griseis foeta.—Hab. in portu Bodega Novæ Californiæ, prope coloniam ruthenorum Ross. ☉

Obs. Folia in omnibus Loti speciebus non ternata sed certe pinnata sunt; foliola enim infima (ab auctoribus male cum stipulis commutata), cum petiolo articulata, pro stipulis haberi non possunt. Cæterum stipulae veræ, licet plerumque minutæ et cito marcescentes, in ima petiolorum basi semper adsunt.

42) **LUPINUS ARBOREUS** β **ODORATISSIMUS.** A *L. arboreo* *Bot. mag. t. 682.* non differt, nisi floribus odoratissimis. Folia in planta spontanea sericea, in planta culta subglabra. Huc omnino spectat *L. sericeus* *Eschsch. in Mémoires de l'Acad. Imp. des Sc. de St. Pétersb. t. X. p. 289*; contra *L. sericeus* *Hooker in Beechey p. 138.* potius ad *L. Chamissonis* *Eschsch.* pertinet.

43) **MACRORHYNCHUS PTEROCARPUS.** M. achaeniis rostro subbrevioribus subcompressis alato-costatis.—*Taraxacum caulescens* *Moris Enum. sem. h. b. Taurinensis 1831* et in *Mem. della Acad. d. Sc. di Torino Tom. XXXVII. p. 108. tab. XXIV.* Achaenia $2\frac{1}{2}$ lin. longa, in rostrum longissimum atque tenuissimum attenuata costisque 10 alatis serrulatis insignita. Variat foliis runcinatis vel subintegris. ☉

M. **LAEVIGATUS.** M. achaeniis rostro sublongioribus teretiusculis subangulatis. Antecedenti speciei habitu, indumento, foliis (nunc indivisis, nunc runcinatis), calathidiis et floribus omnino similis, achaeniis tamen longioribus (5—6 lin. longis), sensim in rostrum attenuatis, apteris, cylindraccis

vel costis obsoletis obtusissimis instructis abunde distinctus.—Hab. cum præcedente in regno chilensi. ☉

Obs. Quid sit *M. chilensis* Less., num prima nostra species? an altera? an neutra? adhuc ignoramus.

44) MELILOTUS GRACILIS DC., *M. neapolitana* Ten., *M. globulosa* Stev., *Trifolium spicatum fl. graec.* Comparavimus specimina gallica, italica et iberica cum icone *Tr. spicati*, in flora græca nitidissime expressa, quae omnes inter se conveniunt. Legumina puberula, rugosa, etiam in planta gallica monosperma.

45) MELILOTUS ITALICA. *M. rotundifolia* Ten. haud differt. Legumina nunc mono—, nunc disperma, saepe in uno eodemque racemo.

46) MICROPUS ERECTUS LINN. *M. squamis fructiferis compresso-navicularibus lævibus antice gibbis, rima semicirculari.*

M. CALIFORNICUS. *M. squamis fructiferis compresso-navicularibus lævibus antice rectilineis.*—Planta annua *M. erecto* prorsus similis; calathidia lanugine rariore brevioraque vestita; squamæ fructiferæ (i. e. achænia includentes) forma fere squamarum periclinii *Sclerocarpi* africani, navicularibus compressæ, dorso gibbæ, antice rectilineæ et apiculo mucroniformi recto terminatæ (in *M. erecto* hæ squamæ, quoad formam, cassidit *Aconiti Napelli* sat similes sunt). Hab. circa coloniam ruthenorum Ross in portu Bodega Novæ Californiæ. ☉

47) MYOSOTIS CALIFORNICA. *M. annua, strigosa, ramosissima, procumbens; foliis linearibus acutis ciliatis; racemis elongatis basi foliosis; pedicellis brevissimis; calycibus corolla sublongioribus, fructiferis patentibus; carpellis rugosis.*—Caules setulis adpressis scabri; folia pilis patentibus ciliata; calyces setis simplicibus rectis patentissimis hispidi; corolla calyce subbrevior, alba cum glandulis 10 flavis ad faucem, laciniis limbi rotundatis haud emarginatis.—*M. Chorisiae Cham.* proxima, sed floribus subsessilibus diversa. Hab. in Nova California circa coloniam Ross. ☉

48) NEMOPHILA ATOMARIA. *N. foliis oppositis pinnatifidis: lobis (5—9) subintegerrimis; pedunculis axillaribus elonga-*